



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**M. Antonij Maioragij|| Orationes|| Et Praefatiōnes**

**Majoragio, Marcantonio**

**Monasterii VWestphal., 1599**

**VD16 ZV 10313**

XXII. De Amore , cum Virgilij libru[m] quartum AEneidos iterum publicè interpretaturus esset.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68843](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68843)



DE AMORE, CVM  
VIRGILII LIBRVM QVAR.

tum Aeneidos iterum publi-  
cè interpretaturus  
esset.

ORATIO XXII.

**C**V M in omnibus suis Operibus Virgilium admi- Vide infra  
rabilem, ac verè diuinum, siquidem diuinitatis Præfat. 8.  
nomen Poëtæ sibi vendicant, esse semper iudicari in-  
tun in Aeneidos sue Libro Quarto se ipsum etiam vi-  
cisse, atque omne suum ingenium, artem & doctrinam  
ostentasse, facile quiuis paulo doctior intelligere po-  
test! Quām enim ingeniosè, quām artificiose, quām  
doctè in eo vires Amoris indicat! quid ad graues illos  
Didonis affectus, & ad Amoris impotentiam ostenden-  
dam, hoc Virgiliano Poëmate fieri potest illustrius, at-  
que evidentius? Cum autem vetus opinio sit, à priscis  
illis ducta temporibus, & sapientum hominum consen-  
su approbata: Eam Amoris esse vim, quæ cæteras om-  
nes vires antecellat: non alienum ab instituto nostro  
futurum existimauit, si priusquam ad huius Poëtæ Car-  
minum explanationem venio, de Amore nonnulla pra-  
fatus fuero. Quia in re non sanè mihi explicata dicendi

ratio proponitur : cum non tantum de Amore ipso, sed etiam de ipsius nomine magna sit apud Autheores trouersia. Prius ergo de Amoris nomine, postea vero etiam de ipso Amore differemus. Igitur apud Gracos Amor, Ερως nominatur. Quod quidem nomen in Platino Plato απὸ τῆς πόνησης, hoc est, à robore deductum existimat : quod impetu quodam, non ratione mortales advoluptatem impellat. Plotinus autem eo in libro, quem de Amore composuit, απὸ τῆς ὁράσεως, hoc est, à visione deductum ἐρωτα censet : propterea quod ex aspectu plerumq[ue] nasci solet amor. Quod etiam propter biali quodam Senario iactatur apud Gracos:

Ἐκ τούτου οὐδὲν γέρας γίγνεται ἀνθρώποις οὐδὲν.

Et Propertius eo carmine satis indicat:

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Quare Iuuinalis quasi prodigium senem quandam fert :

Satyr. 4.

Qui nunquam vis & flagrabit amore puella.  
In Cratyllo vero Plato putat, ἐρωτα τραβήσει τοῦ εἰτεροῦ, hoc est, ab influendo : quod extrinsecus per oculos in animum influat. Sed pluribus sane nominibus apud Gracos Amor appellatur. Nam etiam ἡμέρα dicitur ; quod nomen à ρέσεω, quod efflu, deduci Socrates existimat ; quem sane intemperatus Sophocles appellauit, hoc est, ἀργατον ἡμέρα. Quidam etiam πόθον, Amorem appellari volunt. Verum in Cratyllo Socrates ostendit, πόθον, absentiārum rei desiderium esse, non praesentis amorem. Unde sunt, qui Apollonium reprehendant super illius verbis, Αἰσχυλας πόθω, quod πόθον pro amore usurpari.

III.

πρεσβετεροι καιροι dicunt απειλητικοις appellari, quasi  
sit alius preditus: quod, tanquam volucres, hic & illuc  
volitent amantium vota. Propertius ventosas Amo-  
ris alas appellat, ob inanem credo spem. Eius carmen  
hoc est:

*Idem non frustra ventosas addidit alas:*

*Fecit & humano cor de volare Deum.*

Lib. 2.

Eleg. 12.

Alexander Aphrodiseus in Problematis scribit: Veteres  
ideo fultum alis Amorem sinxisse, quod in altum, tan-  
quam alites, amantium vota tollantur. Φιλιαν etiam  
atque ερωτιν pro Amore nonnunquam apud auctores  
reperire est. Latini vero sine ullo discrimine utuntur  
Amoris vocabulo, siue paruum affectum indicare, siue  
magnam voluerint: & tam honestis, quam turpibus no-  
men hoc accommodant. Quamvis cum aliquam turpi-  
tudinem & obscenam consuetudinem indicare velint,  
amores potius in multitudinis numero, quam amorem  
appellare consueverint. Vanam quidem & lascivium  
amorem etiam in singulari numero dixerunt: sed qui  
honestum & laudabilem amorem in multitudinis nu-  
mero expresserit, vix quenquam ex probatis auctori-  
bus inuenies. Hoc autem nomen latissime patet, & ad  
omne desiderium transfertur: ut in sexto Sibyllalo-  
quens ad Aeneam inquit:

*Quod si tantus amor menti, si tanta cupido,*

*Bis Stygios innare lacus.*

Et in eodem libro:

*Tendebantque manus ripa vltioris amore.*

*Quin et iam mortis desiderium Amoris nomine Cicero Tusculas.  
interpretatur ex Eschilo:*

Gg 2

Amo-

*Amore mortis terminum inquens malum.*  
*Cupido verò & pro Amoris Deo, & pro vehementissimo appetitu solet ab Authoribus usurpari. Iam vero nulla amoris intentissima nomina Furoris plena significatur, quem Græci pavicav vocant: quamvis in multitudinis numero politiores scriptores frequenter usurpent: quod eo Catulli carmine intelligitur:*

*Indomitos in corde gerens Ariadna furor.  
 Quod autem etiam Curia pro Amore frequenter nominat, nemini dubium esse arbitror: quod vel ex hoc libri carmine liquido satis intelligi potest:*

*At Reginam gravi iam dudum saucia cura,  
 Et pauld posse:*

*nec placidam memini dat cura quietem.  
 Sed quid Amor sit tandem, virum aliqua natura quippe se possit esse, ut Deus, aut Homo, aut Demon: affectio tantum animi quedam: non satis inter scriptores conuenit. Poëta namque Deum illum esse volunt omnino, qui potestate sua non homines tantum, sed immortales etiam Deos sibi subiectiat. Vnde Euripides eu-*

In Auge.

Sel. n. 61.

Cic. Tusc.  
4. in fine.

In Hippol.  
Actu. 2.

*stolidum & imperitum vocat, qui non Amorem maximum omnium esse Deum censem: cuius haec carmina citantur à Stobæo:*

*Ἐρωτεῖσις μὴ Θεον χρίνα μέγαν,  
 Καὶ τὸν ἀπάντων δαμόνων ὑπέρτατον,  
 Η σχεδός έστι, οὐ καλῶν ἀπειθεῖσθαι,  
 Οὐκ οἴδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις Θεόν.*

*Alibi verò scribit idem Euripides: Non tantum viri  
 & mulieres ab Amore inquadi solere, sed etiam Deorum animos vulnerari: ut ne Jupiter quidem illi res-*

stere possit, sed ab eo frequenter dometur. Hesiodus in Theogonia sua scribit: Primo quidem factum Chaos fuisse, postea Terram, postremo Amorem prodisse. Simonides autem ex Venere & Marte natum efferit, Acuslaus ex nocte & athere: Alcaeus ex τῆς Ερίδως καὶ Ζεφύρῳ Sappho Veneris & Cœli filium tradit. Cicero de Natura Deorum libro tertio tres Cupidines memorat: quorum primus Mercurio & Diana prima natus dicitur: secundus Mercurio & Venere secunda: tertius, qui Anteros dicitur, Marte & Venere tertia. Sunt etiam, qui Venere & Vulcano genitum Amorem velint: ut Tragœdia decima Seneca testatur. In Octavia Platonicus vero Phædrus Amorem magnum esse Deum, in Convivio Platoni probare contendit: itaque multis in locis apud antiquos tanquam Deus colebatur. Legimus enim, Athenis iuxta Palladis statuam, etiam Amoris simulacrum extitisse, cui non aliter, quam Palladi, rem diuinam Athenienses facerent. Lacedæmonios vero accepimus, priusquam cum hoste congererentur, Amori sacrificare solitos: tanquam is Deus solus victoriam ac salutem præstare posset. Iam apud Thebanos etiam Gymnasium Amori dicatum fuisse comperimus; ubi Cohors quædam, quæ Sacra dicentur, ex amantibus & amatibus conflabatur. Maxime vero omnium Thespientes, & Pariani, qui in Hellestanto sunt, Amorem colunt & omnium Deorum principem habent. Sunt etiam, qui Amorem neque Deum, neque hominem esse affirment, neque marem neque fæminam: quemadmodum Athenæus libro decimo tertio scribit, ubi plurima de Amore tractantur.

Finge-  
Gg 3 bant

bant autem puerum, & volucrem, & sagittis armis  
quemadmodū elegantiissimè Propert. lib. 2. cecinit. Eu-  
bius tamen neq; leue, neq; pennigerū Amorem effe de-  
cit, sed grauem potius & stabilem: & Alexius immo-  
volucrem esse vult, quāuis ab ignariis pictorib. ita finge-  
tur. Sunt præterea, qui illū cæcū esse velint: quia quid

Eleg. 12.

Lib. 2.

Eleg. 14.

Eidyll. 10. scribit in Eidyllo, cui Théophrastus est.

ait Propertius, *Insano nemo in amore vidi.*  
Et id Theocriti autoritate probare contendunt, quia

Τυφλὸς δὲ σκύπωτες ἐπλάθει

Αλλὰ καὶ φρόντισθε Ερως.  
hoc est. Non tantum Plutus cæcus est, sed etiam cœ-  
rum plenus Amor. Verum Moschus in eo pulcherrimo  
carmine quod Ερως δραπέτης inscribitur, Amoremo-  
culos acres & ardentes, hoc est, δειψάλα καὶ φορά-  
τα δμυτα habere scribit. Neq; sanè meminilegit,  
vbi apud probatos Auctores Amor pro Deo cæcus singu-  
tur. At verò quid Amor sit, optimè Seneca Tragedia  
decima, qua Octavia inscribitur, his versibus edocet:

Actu 2.

Volucrem esse Amorem singit, immitem Deum,  
Mortalis error, armat & telis manus,

Arcusq; sacros instruit sœua face:  
Genitumq; credit Venere, Vulcano satum.  
Vis magna mentis, blandus atq; animi calor  
Amor est: iuuent a gignitur, luxu,  
Ocio nutritur, inter leta fortuna bona.  
Quem si fouere atq; alere desitas, cadit,  
Breuiq; vires perdit extinctus suas.

Non igitur Deum, neq; Daemonem, neq; Hominem effe  
Amorem, sed vim quandam mentis, atq; animi calorem  
existi.

existimandum est: atq; ideo nonnulli dicunt: Amorem nihil aliud esse, quam boni desiderium: alij verò dicūt, appetitum esse fruendæ pulchritudinis. Quæ sane definitiones ambæ à Platoni schola profluxerunt. Theophrāsus autē eximus Philosophus, qui diuinitatē loquendi nomen inuenit, Amorem ita describit: Ερως ἐσίν αλογις ὁ περιποίας ὑπερέολλα, hoc est, Amor est eius, quæ ratione careat, cupiditatis exuperantia. Sed difficilimum esse, rectè intelligere, quid sit Amor, Plutar-chus ostendit, cùm scribat: Amorem ab alijs mente in quandam, siue intellectum, quem ille v&v vocat, existimari: ab alijs diuinam animi motionem, atq; Dæmonium: atq; alia præterea multa refert, quæ tamen Amoris naturam apertè non declarant. Quamuis autem plures Amoris species ab aliquibus numerentur: due tamen sunt in primis, quæ à Platone atq; Platino celebrentur. Alium enim vulgarem Amorem appellant, more, qui ab ea pulchritudine, quæ sensu percipitur, oriatur: quam quidem pulchritudinem, vulgarem etiam Venerem appellare solent: aliū autem cœlestem nominant, qui à diuinarum rerum, quæ intelligentia cognoscuntur, pulchritudine nascatur: & hanc cœlestem & diuinam Venerem vocant. Itaq; Lucretius, Poëta & Philosophus egregius cùm hoc intelligeret, suum opus ita exorsus est:

Æneadūm genitrix hominū, Diuumq; voluptas,  
Alma Venus.

In hac enim parte præclarissimè Platonici philosophati sunt: dum colligunt: oculos nobis ad Dei cognitionem & immortalitatem duces esse. Nam cùm

Plato in  
conuiuio  
seu de A-

Amor

Gg 4

In Sympo-  
sio.

Cap. 10

Psal. 28.

Metaph. 1.  
cap. 2.

Aet. 2.

In Hippol.

Aet. 1.

*Amor pulchritudinis desiderium sit, (vt ait Plato) huius pulchritudinis, quæ sub sensum cadit, affectu paulatim erigimur ad cœlestem pulchritudinem atque diuinam: cuius ideam animo concipientes, admittunt quondam desiderio ad eam trahimur, atq; hæc terrena, quasi vilia & abiecta, neglegimus. Hoc est, quod etiam Paulus Tarsensis, vir sanctissimus, ad Romanos scribens, ait: Diuina mysteria per harum rerum, quæ cœluntur, considerationem intelligi posse. Vates autem ille diuinus, Cœlum (inquit) Dei gloriam enarrat: & Anaxagoras, Ad cœli contemplationem homines effatos, asserebat. Sed ad Amorem nostrum reveremur: quem ante res omnes genitum fuisse quidam existimant: unde etiam Phanes dictus est, quod primus apparuerit: qua in sententia Parmenides fuisse videtur, cum ita cœmerit:*

*Πρότισον μὲν ἔρωτα θεὸν μητρὸν ὀπάτων. Aristoteles quidem ait: Hermetinum Clazomenium, & Parmenidem, & Hesiudem statuisse, Amorem rerum omnium motricem atq; efficientem causam. Plato in Coniuicio scribit, Amorem in natalibus Veneris in hortis Iouis, cum Poros Peniae coniunctus fuisse, esse genitum. Sed dueros animo Amores esse consenserunt omnes: qui tamen ad duas species, quas diximus, reducuntur: unde Seneca geminum Cupidinem appellat in Oedipo:*

*Concinit tædas geminus Cupido. Et alibi:*

*Quam Vocat matrem geminus Cupido.*

*Nostri etiam Theologi primum illum Amorem diuinum mirificis iaudibus celebrant. Itaque Dionysius Areopagita in libro de amorem dicit: Amor est genitum, quod*

Areopagita cum de Sacris Nominibus ac diuinis scriberet, Amorem non prætermisit: inde illa eius verba:  
Σειως ἐρως, & γαθος, & γαθη, δια το αγαθον docet quod  
ab Amore diuino bona omnia profluxisse. Mentes vero  
illas supremi chori, quæ Deum propè contingunt, ab A-  
moris incendio Seraphin nominatas sunt, Hebræa Lin-  
gue perit testantur. Sed plurimum refert, à qua Ve-  
nere noster Amor oriatur. Hinc enim omnis vita felici-  
tas, & omnis miseria pendet: siquidem omnes, natu-  
rali quodam instinctu, boni amore trahimur: sed à Ve-  
nere, hoc est, ab eorum rerum, quarum amore capi-  
musr, pulchritudine plerunque decipimur. Hic enim  
nihil pecunia speciosius esse putat, atque ideo studium  
suum omne congerendis pecunijs accommodat: alius  
amore militie ducitur: alius sine literis vitam non vi-  
talem (ut ait Ennius) existimat: plurimi, si corporis vo-  
luptatibus priuentur, se miseris esse iudicabunt: sunt  
etiam (quamvis admodum rari) qui tanto virtutis a-  
more flagrant, ut cetera omnia pro nibilo habeant: ne-  
que, nisi quantum cogit necessitas, curent. Atque hi  
sunt, quos cœlestis Amor ad immortalem gloriam  
& felicitatem aliquando perducet. Hic autem Amor  
ille est, quo referri sunt omnes & Platoniorum, &  
Theologorum libri: cuius tam mirabilis effectus, ut a-  
nimam à corpore prorsus abstrahat, & ad res subli-  
mes atque pulcherrimas considerandas erigat. Cum  
enim mentis oculis, sapientiae splendorem intueri quis  
potest, admirabiles in eo amores excitantur sapientiae:  
atque ita rerum altissimarum cogitatione fruitur, ut  
ad hac infima stupeat. Hoc est, quod in Phædone So-

crates ait: Philosophorum vita nihil aliud esse, quod  
mortis commentatorem. Nam qui alicuius rei amorem  
captus est, de ea semper cogitat, & in ea quasi vita, in  
de Pythagoras dicere solebat: Amorem unam esse aman-  
tam in duobus corporibus habitantem. Hinc est, quod  
Poëtae mulieres eas, quas amant, vitam suam appellant:  
ut Propertius:

Lib. i.  
Eleg. 2.

*Quid iuuat ornato præcedere vita capillo,  
Teq[ue] peregrinis vendere muneribus?*

*Volunt autem Amorem primum ac principalem actum  
esse voluntatis: unde voluntatem amoris efficiens  
esse causam statuerunt: pulchritudinem autem, quasi  
materiam quādam, ex qua amor generetur: qua quo-  
modo fiat generatio, sanè quādēcim Picus in Hym-  
nis suis ita cecinit:*

*Namq[ue] vbi membrorum vultus discordia concors  
Fulserit, & gratia fuerit compaga reuincta,  
Ipsa oculos afflat subito, celeriq[ue] meatu  
Labitur affecti tacita ad penetralia cordis,  
Idq[ue] trahit, veluti chalybem magnesia cautes,  
Et tractum incendit, generatque in pectore flam-  
mam*

*Illecebris fotam placidis, gratoq[ue] decore.  
Verūm non alia ratione quisquam ab hoc amore vul-  
gari se liberare poterit, nisi id efficiat, quod Archytus  
Tarentinus in eo Libro, quem Περὶ Σφίας inscripto  
præcepisse dicitur: Ut ab ipso Deo ad res, ab eaprocrea-  
tas, cogitatione procedamus: rursusq[ue] à creatis rebus  
ad ipsum Deum reuertamur. Cum enim res aliqua  
pulchritudine sua nostrum animum mouet, statim ab*

ea progradientes, cogitare debemus, quanto debent  
ea pulchriora esse, quae non oculis, sed intelligentia per-  
cipiuntur: rursusque ab illis ad Dei pulchritudinem af-  
cendere, in eaque demum acquiescere: cum ab hoc amo-  
re diuino (quem admodum ante a diximus) felicitas o-  
mnis atque beatitudo pendeat. Hic autem amor eti-  
am in Deo est: quippe qui (ut Platonici volunt) amore  
ductus, hunc mundum procrearit. Et Aristoteles duo- Cap. 2.  
decimo prima Philosophiae libro, primam illam Men-  
tem omnia mouere propter amorem censet. Plato in  
Coniuicio docet: Ab amore diuina ad homines, & hu-  
mana ad Deos transferri: eumque, qui harum rerum  
peritus sit, maximè felicem nuncupauit. Clemens Ale-  
xandrinus id in nobis situm esse afferit, ut amoris diui-  
ni periti solum: ideo initio eius libri, quem Pædagogum  
inscripsit, ita inquit: Τὸ φιλτρὸν τὸν ἀνθρώπῳ ἐσίν.  
Atque hic sanè diuinus amor tantopere incenditur, ut ab  
alijs rebus mentem alienet, atque in amatum Deum mi-  
rabili quadam potestate transformet, ut Dionysius ec-  
stasis ab eo fieri censeat. Hoc illud sanctissimum  
coniugium animæ cum Deo est, de quo multa Theologi  
nostræ verba faciunt: & Proclus, in Hymno ad Lyciam  
Venerem ita canens:

Σύμβολ' ἔχων νοεροῖς γάμος, νοερῶν δυμενάκων.

Nunquam autem hic amor nimis, aut nimis inten-  
sus esse potest: cum reliqui amores, cum intendun-  
tur, magnas animo perturbationes afferre soleant.  
Scribit enim Theophrastus in Amatorio libro, Chere-  
monem Tragicū existimasse, amorem, si mediocris sit,  
esse

esse gratiosum, si verò fuerit intensus, molestias  
perturbationes afferre quam plurimas. Sed neq; illud  
prætermittendum, quod hac vñaratione vel maxime  
ceteris animantibus homo præstat, quod rerum pulchri-  
tudinem intelligit, atq; eius amore capitur; quod de  
Officijs primo Cicero fatetur his verbis: Itaque re-  
rum ipsorum, qua aspectu sentiuntur, nullum aliud  
animal pulchritudinem, venustatem, conuenientiam  
partium sentit. In quarto Tusculanarum libro prodi-  
tur, Aptam membrorum figuram, cum quadam coloris  
suavitate, corporis esse pulchritudinem: Animis vero  
pulchritudinem esse censuit, opinionum, iudiciorum  
que equalitatem & constantiam, cum firmitate qua-  
dam & stabilitate, que virtutem subsequatur. Virum  
autem à corpore, an ab animo, principium habent  
sensilis Pulchritudo, questio est. Nam plerunque ac-  
cidit, vt animorum magis, quam corporum, pulchi-  
tudine moue amur; multi que ad amandum magis fa-  
mine honestate ac pudicitia, quam procacitate &  
lascivia concitantur. Quis enim, nisi vilis & perditus  
homo, meretricis amore, quamvis pulcherrima sit, ca-  
pitur? At contra, quemadmodum præclarè Lucretius  
cecinit:

Deteriore fit, vt forma muliercula ametur.  
Nam facit ipsa suis inter dum sœmina facta,  
Morigerisq; modis, & mundo corpore culta.

Eidyll. 6. Vt facile insuecat secum vir degere vitam.  
qui inscri- Quid, quod propter iudiciorum varietatem sapemone-  
bitur B8- ro fit, vt que nō pulchra sunt, pulcherrima videantur?  
xoliasq; Quod etiam eo Carmine Theocritus indicat:

Nok.

O R A T I O   X X I I .   477

Πολλάχις ἡ γῆρας ἐρωτᾷ, τὸ μὲν οὐδὲν, οὐδὲν πέφασται.  
Vnde Polyphemus apud Ouidium, rigidus homo, ita Metam. 13.  
fab. 11.

canit:

Barba viros, hirtaque decent in corpore setae.

Apud Persas autem propter summas delicias nibil pulchrum habebatur, quod non molle atque effeminatum esset. At contraria Virgilius in hoc libro Didonem, fœminam quidem, sed qua etiamen virile nescio quid praeseferret, non tantum Æneas pulchritudine captam inducit, quantum eius fortitudine & rebus gestis, quibus admirata clamat:

Quæ se ferens? quam forti pectore & armis? Aeneid. 4.  
Et non ita multò post: in princ.

Heu! quibus ille

Iactatus fatis? quæ bella exhausta canebat?  
Morum enim similitudo ea est, quæ maxime amorem conciliat. Non igitur mirum, si bellicosas fœmina fortis & bellacem virum adamavit. Nam illam habitu quodam quasi virili postea depingit.

Sidoniam picto chlamydem circumdat a lymbo,  
Cui pharetra ex humero.

Erat enim chlamys, non muliebris vestis, sed potius militaris. Vnde Plautus in Curculione: Queratis chlamydem & macharam hanc, vnde ad me peruenierit. Act. 5. Sc. 2  
Et ipse Virgilius in octavo:

ipse agmine Pallas

In medio, chlamyde & pictis conspectus in armis.  
Et Cicero pro Rabirio Posthumo statuam Scipionis cum chlamyde in Capitolio fuisse: & Neapoli Syllam Imperatorem chlamydatum scribit. Sed quade causa accedit,

dit, ut amat a mulier longè pulchrior amanti, quæ  
teris videatur? & contra vir amatus amantimulier?  
Hoc quidem propter ideam illam atq; formam aman-  
tæ rei, quam semper animo versat amans, acciden-  
cesse est. Longè enim pulchriores animoformas uici-  
pimus, quam quæ oculis subiiciuntur: itaq; tantum uia  
cogitatione, qua sibi formam absentis amica repre-  
sentat, incenditur: ut omnino talem etiam reuerae,  
qualem animo concipit, existimet. Potest etiam in can-  
sa esse temperamentorum corporis, atq; humorum va-  
rietas, ut nonnulli fæminæ alicuius amore capiantur,  
quam tamen alij de formem existiment. Sic Plato in  
che anasses Colophoniæ pulchritudinem præcellere om-  
nibus existimat: sic Aristoteles Herpillidem amicam  
suam ceteris omnibus, tanquam omnium pulcherrimum,  
anteponebat. Hoc est, quod Horatius Sermonum libro  
primo scribit:

Illuc peruert amur, amatorem quod amica  
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipsa he-  
Delectant, veluti Balbinum Polypus Agna.

Hinc est, quod quidam cæcum amorem esse dicunt: quo-  
niam amantes recto iudicio plerunque priuare solet.  
Magna sanè atq; obscura quæstio est, quare ratione an  
causa fieri possit, ut homines ab amore tantum immu-  
tentur, ut non amplius idem esse videantur. Nostri  
mino Theologici censem, prauorum Dæmonum malef-  
icijs frequenter accidere, ut quis amore turpi capiatur.  
Nam sæpenumero videre licet, non adolescentes tan-  
tum, et atis feruore concitatos, sed etiæ prouectioru-  
tatis viros, licet uxores castissimas & forma prestatu-

Satyr. 5.

tes habeant, ita meretricis alicuius petulantissimæ amore detineri, ut ob eius consuetudinem, non tantum uxorem, sed rei familiaris & filiorum curam negligent. Ab hac autem Theologorum sententia, non admodum discrepat Porphyrius: qui spiritus quosdam incorporeos ab eiusmodi hominibus attrahi, atq; hauriri cœsunt, a quibus ad amores tam turpes impellantur. Nonnulli Genios in causa esse volueré. Sunt etiam, qui siderum atq; astrorum potestati furorem hunc acceptum ferant. Sed quis Genius, aut quæ astra possunt experitia rationis animalia ad homines amandos impellere?

Tradit enim Theophrastus in Amatorio suo, Puerum quendam Olenium, Amphilocum nomine, non medio- criter ab ansere fuisse dilectum. Nicander etiam au-

thor est: Nicomedis Bithyniae regis filium, qui Secundus diceretur, gallinaceo gallo in delicijs fuisse. Quid, quod Clearch.

Peripateticus tantum paonis amorem in puellam Leucadiam fuisse memoriae prodidit, vt puel-

la mortua non amplius viuere voluerit, sed eius desi-

Nat. Hist. derio vita excesserit? Quot exempla delphinorum à lib. 9. ca. 8.

Plinio memorantur qui puerorum amore capti sint? Gell. lib. 7.

Sed horum amorum nihil aliud certè, quam imagina-

tionem quandam in causa crediderim, qua non homo

tantum, sed ceteræ etiam animantes, teste Aristotele,

præstant. Capiuntur autem homines amore, obie-

cta quidem totius corporis pulchritudine, sed tamen

propter faciei splendorem maximè: qua in parte ma-

giis etiam oculos, quam reliqua, spectant. Nam vt Ari-

stoteles Ethicorum libro nono scribit, Amantibus ipse Cap. 12.

aspectus charissimus est, ijq; sensum hunc præceteris

expe-

expetunt: quod ex eo potissimum amor nascatur, sed idem Aristoteles à pudore homines in amoris reum pelli subindicat, cum amatores nihil magis in amante corpore, quam oculos respicerè affirmet, in quibus habent.

**In Probl.** τὸν αἰδῶ, hoc est, pudorem vult. Et sua per antiqua opinio: Pulchritudinem aut pudori messe, non ipsum esse pudorem. Vnde maximè tunc incendi amatores Poëtæ singunt, cum amatas virgines pudore suffici viderint: quod de Lauinia & Turno scribit inde.

**In princip.** decimo Virgilius his versibus:

Accepit vocem lachrymis Lauinia matr,  
Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignis  
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurit.  
Indum sanguineo veluti violauerit ostro  
Si quis ebur, vel mixta rubent ubi lilia malis  
Alba rosa: tales virgo dabant ore colores.  
Illum turbat amor, figitque in virgine vultu.  
Ardet in arma magis.

Sic etiam Anacreon *T* eius virginalem aspectum in proposito suo celebrat his verbis: οὐαὶ τῷ φέρειν ξενον.

**Apud Ath.** Ad quod allusisse videtur Phrenicus in Troilo, cum de Lib. 13. xit: Amoris lumen in purpureis splendere genus. Paradarus autem faciei splendorem celebrat in Theoxenio Tenedio: cuius haec sunt verba: Αχτίναι τοσούται μαρμαρίσσας. Verum non tantum apta membrorum compositione, sed etiam animi qualitatibus, que cum aliqua gratia atque venustate in corporis actionibus splendent, amatores capi non dubium est. Sed quaratione fieri posit, ut quis ab Amore libertatur, varia præcepta dari solent. Nam Ovidius cum

AYOM

artem amandi tradidisset, etiam eius remedia versibus mandare conatus est. Galenus autem Medicus eximus, & Avicenna, cum Amorem putent vehementem esse animi morbum, propterea curandum esse corpus praeceperunt; & de curandi ratione non pauca praecepit at radiderunt. Cicero Tusculanarum libro quarto de Amatore loquens: Sic (inquit) affecto haec adhiben-  
da curatio est: ut & illud, quod cupiat, ostendat quam  
leue, quam contemnendum, quam nihil sit omnino;  
quam facile aliunde, vel alio modo perfici, vel omnino  
negligi possit. Adducendus est etiam nonnunquam ad  
alia studia, solicitudines, curas, negotia. Loci deni-  
que mutatione, tanquam ægroti non convalescentes,  
sæpe curandus est. Etiam nouo quodam amore vete-  
rem amorem, tanquam clavum clavo ejiciendum putat.  
Maxime autem admonendus, quantus sit furor Amo-  
ris: omnibus enim ex animi perturbationibus est profe-  
ctio nulla vehementior. Alij causas illas præcidere iubent,  
quibus in Amoris laqueos homines incidere plerun-  
que solent, ut compotationes & conuiua. Nam (ut  
ait Comicus) Sine Cerere & Baccho friget Venus.  
Ideo noster ingeniosissimus Poëta singit, in conuiuio  
splendido atque regali, inter lusus & blanditias amo-  
re captam esse Didonem. Sic enim Venus Amori filio  
principit:

Vt cum te gremio accipiet latissima Dido,  
Regales inter mensas, latitumq[ue] Lyæum:  
Et dabit amplexus, atq[ue] oscula dulcida figet:  
Occultum inspries ignem, fallasq[ue] veneno.  
Vitanda est mulierum consuetudo: proponenda sunt

Terent. in  
Eunuch.  
Act. 4. Sc. 5

Virgil.  
Aen. 1.

Hh                    exem-

exempla continentiae: Ut Cyrus apud Xenophonum, cùm in Assyriorum prædia diuidenda, pulcherrima quædam mulier, quæ susorum regis vxor fuerat, sibi obtigisset, eam nec aspicere quidem voluit, nemquam obscenæ libidinis cupiditatem incideret. Et Alexander ille Macedo, cùm Darij vxorem, quæ formæ cæteras omnes Persicas mulieres antecelleret, easdemq; regis filias cœpisset, eas honestissimè custodiri iussit. Et Africanus Scipio præstanti pulchritudinem Hispanam, cùm admodum ipse iuuenia esset, sponso suo tamen intactam illibatamq; restituit. Plurimum igitur prodest Virtutis Amor, atq; animi propositum, ad insanii Amoris stimulos auertendos. Sed nihil magis hunc furorem arcere potest, quam si quis cogitet, quæ inde mala proueniant. Nam, ut ait in Eneide Terentius:

Aet. I. Sc. I.

In Amore hæc omnia insunt vicia:

Cic. Tus. 4

Iniuriæ, suspicio[n]es, inimicitiae, inducio[n]es

pag. 226. a

Bellum, pax rursum.

Certè amatores videre licet modò algere, modò astutare; nunc spesi plenos, nunc planè desperantes, demique præcipites in omne facinus; atq; illud Plautum in ore habentes: Actor, crucior, agitor, stimulator, versor in amoris rota miser. Tibullus sane, quanto sit Amoris impatientia, quantus dolor, his versibus ostendit:

In Cistella  
ria, Aet. 2.  
Scena 1.

O ego, ne possem tales sentire dolores,

Lib. 2.

Quam mallem in gelidis montibus esse lapu!

Eleg. 4.

Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,

Naupraga quam vasti tunderet vnda mari!  
Menander cùm Amoris incommoda sensisset: clauso

mare

*mare non dubit auit:*

Φεῦ φεῦ, Βροτοῖς ἐρωτεῖς ως κακὸν μέγα,  
Heu quām magnum mortalibus malum Amores sunt!  
Quis enim facile numerare posse, quot regna subuer-  
sa, quot deletas urbes, quot homines trucidatos, quot  
familias exitio traditas, quot bella, quot cædes, quot  
regiones ferro ignique vastatas, insanii huius amoris  
causa, Scriptores & Graeci & Latini memoriae prodi- In Cistella-  
derunt. Ut non illepidè Plautus dixisse videatur: Amo- ria, Act. 2.  
rem primum apud homines carnificinam commentum  
Scena 1.

fuisse. Poëtæ vero non alia de causa finixerunt homi-  
nes in bellus à Circe commutari, nisi quia capti anno-  
re, vim omnem rationis amittunt. Possunt autem A-  
matores scaro pisci non inconcinnè comparari, quem  
præ ceteris omnibus piscibus, aiunt, libidine furere.  
Cum enim pescatores unam ex eo genere fœminam  
habere possunt, eam in insidijs collocant, & rete cir-  
cumponunt: tunc scari eius potienda fœmina deside-  
rio, quasi œstro quodam perciti, ruunt, & alias alium  
præuertere contendit, ut prior amata fœmina fruatur:  
quo fit, ut eorum maxima multitudo parata in retia se-  
nuoluant: atque ita, quemadmodum M. Antonius Philoso-  
phus & Imperator scribit, διδόσατι δίκλιον δρυῆς ἀφρο-  
δίτιον ταύτην οἰ σχάροι. Magnū etiam corpori detri-  
mentū affert intēstina Venus: unde illud Demosthe-  
nis dictū: Pœnitere tantum non emō: quoniam Venerem  
semper dolor & poenitentia sequitur. Nam (ut ait Ari- Section. 4.  
stoteles in Problematis) Semen ab homine pro corpo-  
ris proportione plurimū emititur, & ab omni corporis  
parte: quo fit, ut totum corpus concutiatur. Hinc est,

Hh 2 quod

quod Abderites Sophista, Parvam quandam epilepsiam coitum esse censuit. Quam quidem sententia

Noct. Att. Gellius Hippocrati ascribit his verbis: Hippocrates lib. 19. c. 2. rem, diuina vir scientia, de coitu Venereo ita existimat: Partem esse quandam morbi teterimi, quam nos tri Comitiale dixere. Nam ipsius verba haec tradantur: Τὸν τούτον τὸν ἔναν μηχανὴν διδάσκειν. Et Cornelius Celsus frequenti coitu corpus dissolui scribit. Iacentia longè minori detramento sanguinem per venarum sectionem emitti, quam intempestivè semen fundi existimat. Cogitandum est igitur quod ait Piso:

Vt semper multos Venus inmoderata dolores  
Afferat, innumeras labes, morbosque, necemque,  
Et curue ante diem praetendat damnosae senecta.  
Quamobrem hanc turpem Venerem atque hunc furiosum Amorem relinquere; & illum castum ac castum, qui à virtutis & sapientiae pulchritudine splendorque prosciscitur, sequi decet; qui alios omnes ex animo procul amores evicit, & presentia sua magnam hilaritatem, & voluptatem assert incredibilem. Veri autem amatoris signa sunt: Ad Amorem sapienter inclinare, de ea cogitare, loqui, scribere, somniare.

Neque enim (inquit Virgilius) patrius consistere mentem

Aeneid. 1.  
Eclog. 8.

Passus amor.

Et alibi:

Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.  
Satis enim constat, intensum amorem etiam dormientes suis imaginibus aut oblectare, aut etiam contristare. Quod multò ante Virgilium Smyrnaeus Bion vidit, qui in suis Bucolicis ita de amore cecinit:

A' 145

Α' μεγάλα μοὶ Κύπρις ἔδ' ὑπνῶντι παρέσα.  
 Aristoteles in Rheticus ad Theodecten scribit: Ve- Lib. 1.  
 ros amatores de re amata etiam cum gaudio somnia- Cap. II.  
 re, & propter perpetuam eius memoriam, quamvis ab-  
 sit, tamen quasi presente latari: quin etiam εὐ τοῖς  
 τένθεσι καὶ δέησι, hoc est, in luctibus & lamentatio-  
 nibus quandam tamen amat & rei recordatione subori-  
 rivoluptatem, quam oculis animi, tāquam præsentem,  
 intuentur. Itaq;<sup>3</sup> summus hic Poëta noster, sicut omnes  
 animi affectus, ita ingeniosissimè vim Amoris expli-  
 cans, ita de amante Didone scribit:

Illum absens absentem audit q;<sup>3</sup>, videt q;<sup>3</sup>.

Quæ res efficit, vt etiam in dolore gratus sit amor:  
 vnde apud Poëtas Dulcem amaritatem frequenter  
 inuenies, quod uno verbo γλυκύμαχον Græci vocant. Plutarch.  
 Catullus in quodam Epigrammate ita de Venere  
 scribit: Orpheus.  
 Musæus.

Multa satis lusi; non est Dea nescia nostri,

Qui dulcem curis miscet amariciem.

Apud Plautum in Pseudolo quidā adolescens de amicæ Act. I. Sc. I.  
 suæ epistola sic ait: Dulce amarumq;<sup>3</sup> vna nunc misces  
 mihi. Quod si aliquarei amata imaginem, aut si quam  
 prolem habere potuerint, tum verò sauos dolores ali-  
 quantulum mitigare solent: atq;<sup>3</sup> ideo Dido, cùm abi-  
 turus esset Æneas, ita inquit:

Saltē si qua mihi de te suscep̄ta fuisset

Virg. 4.

Aeneid.

Ante fugam soboles: si quis mihi parvulus aula

Luderet Æneas, qui te tantum ore referret:

Non equidem omnino captia, aut deserta viderer.

Ac sanè cùm quis amare incipit, statim etiam incipit

Hh 3 id,

id, quod amat, laudare: quod cùm Poëta noster mag-  
noraret, amore captam Didonem, statim faciat  
quam Deum quendam suum, Æneam admirari:

Virgil.  
Aen. 4.

Credo equidem: (inquit) nec vanas fides, genua esse  
Deorum.

Et quemadmodū amans rem amatā maxime suscipit,  
& nihil non magnum atq; honorificum de ea semit &  
loquitur: ita nullo modo ferre potest, qua illi molesta  
esse cognoverit. Quā intensi Amoris proprietatem Vir-  
gilio non incognitam suisse, declarat illud, quod in se-  
cundo libro de Chorœbo scribit: qui cùm paſſim crinibus  
Cassandra amasiam suam à Gracis trahi vident:

Non tulit hanc speciem furia mente Chorabim,

Et sese medium iniecit moriturus in agmen.

Quibus verbis ostenditur, Amantes non tantum incom-  
moda propter amatam rem pati paratos, sed etiam si  
ita accidat, mortem: quod de Alceste Admeti uxori  
Poëta fabulantur: quamuis hoc pro re certa in Platoni-  
nis Coniuicio recitetur, & de Tyberio Graccho loquen-  
tur historiae. Nihil autem durum, nihil asperum refu-  
git amans; modò amatā re potiatur: quod in Ecloga  
decima sic ostendit Poëta:

Galle, quid insanis? (inquit) tua cura Lycorū

Per q; niues alium, per q; horrida saxa secuta est.  
Quin etiam nullam conditionem subire durissima ser-  
uitutis recusant, ut id tandem, quod concupiscunt, affe-  
quantur: sic Hercules seruiuit Omphale: sic Jacobum  
quatuordecim annos ob Rachelis amorem Labano ser-  
uiuisse Sacra Litera testantur. Sed quoniam plus satis  
iam fortasse philosophati sumus: hac, quare conditio-

Genes. 19.

ravideri possunt, relinquamus: & videamus, qua de causa Virgilus Æneam suum, quem tanquam aliquod insigne probatatis & sapientia exemplar nobis proponit, Amoris tamen laqueis irretitum fuisse velit. Atque ut illas, quæ verisimiles sunt, causas prætermittam, Æneam ideo si Didoni coniunxisse fingit, non quia captus esset eius amore, quod nusquam Poëta docet, sed quia se hospitem egentem & vagum videret, ut earatione Didonis gratiam seruaret: quoniam (ut ait Cicero) Tempori cedere, hoc est, necessitatipare, semper sapientis habitum. Quis enim non intelligit, si Didonis, amore inflamatæ atq. furentis, congressum Æneas refugisset fore, ut paulo post à Didone vel expelleretur, vel etiam aliquid grauius patetur? Notum enim erat Ænea sapientissimo viro, *Fu. Aen. 4.*

rens quid fœmina possit: igitur illi voluit indulgere,

Dum pelago sœuiret hyems, & aquosus Orion,

Quassat æq<sub>3</sub> rates, & non tractabile cœlum:

vt verno postea tempore commodiūs posset in Italiam nauigare. Potuit etiam illa grauis esse causa, quæ Virgiliū, ut amatorēm Æneam fingeret, impulerit: quoniam etiam Homerum, quem unum amulabatur, idem de Vlysse suo prudentissimo viro finxisse videbat: quem scribit in insula quadam à Calypso diu detentum *Odyss. 5.* fuisse, donec Iouis imperio coacta fuit eum dimittere. Sed, ut ego quidem arbitror, voluit hoc in libro Poëta, quantā sit vis amoris, ostendere: qui non fœminas tantum, sed etiam grauiissimos viros plerūq<sub>3</sub> deuinciat: ut id Æneas dicere posset:

*Omnia vincit Amor, & nos cedamus amori.*

Lib. 4. Epi  
stol. fam. 9

Virg. Ec.  
log. 10.

Cum præsertim videret Poëta, duos summos illorum  
peratores, quos suis carminibus maximè illustrau-  
piebat, Iulium Cæarem, & Octauium Augustum, &  
moris illecebris fuisse delitos. Nam Iulius Cæsar  
Ægypto Cleopatræ amoribus indulxit; Octauiu-  
tem Augustus amore Luiæ Drusillæ tantopere incen-  
sus est, ut eam (quemadmodum scribit Suetonius) &  
matrimonio Tyberij Neronis, & quidem prægnatum  
abduxerit, dilexeritq; semper vincere, ac probari per-  
seueranter. Ea vero maxima causa Virgilio fuit, ut  
Poëticæ Artis consuetudinem seruaret. Nam apud  
Poëtas, non hominum tantum, sed etiam Deorum  
mores celebrantur. Theseus, qui sapientissimus fugi-  
tur, duas sorores Phœdram & Ariadnam, Minois Cre-  
tum regis filias abducit: Peleus Thetidis amore espi-  
tur: Hercules amore Deianire flagrat: Agamemnon  
parenti, quamvis Apollinis iussum intelligat, Chrysa-  
da reddere recusat: Achilles abductam Briseidam  
quam puer, deplorat. Quid Iasonem, Paridem, Me-  
netlaum, Orestem, Protesilaum, innumerabilemque  
aliorum multitudinem referam? Ipse Iupiter mo-  
dò Taurus fit, ut Europam rapiat, modò Cygnus cum  
Læda concubit: modò aurum in Danae gremium  
fluit: modò Amphitryon in Alcmena complexus  
Herculem generat. Pluto per vim Proserpinam  
pit. Venus cum Marte, cum Vulcano, cum Anchise de-  
nique coiungitur. Iuno Zelotypia flagrat, Apollo Daph-  
nes amore cruciatur. Quid plura? nullus apud Poëtas  
Deus est, nullus homo paulò celebrior, qui non a  
moris vincis colla subdiderit. Quid igitur mirum, si

Homer.  
Iliad. I.

Poëta

Poëta noster Æneam suum amori indulgentem faciat: cum hoc non à sapientissimis tantum viris, sed à Deis etiā ipsis immortalibus fieri Poëtæ omnes consentiant? A qua sane opinione neque Historiae, neq; Sacrae literæ discrepant. In Historijs enim habemus, summos illos Philosophos, Socratem & Platonem, Aristotelem, laqueos amoris effugere non potuisse. Quin etiam Socrates, cum nihil omnino se scire profiteretur, artem tamen amandi se didicisse fatebatur. Apud Romanos omnium sapientissimus Cato vincitur & expugnatur ab amore. Quid M. Antonius Philosophus & Imperator, quanto Faustina amore incensus traditur? Multa prætereo consultò, ne nimis longa sumatur oratio. Nam vero in Sacris Literis non adolescentes tantum, sed etiam grauiissimi & sapientissimi homines a amore capiuntur. Quis Samsone fortior habitus est? Iudic. 16. tamen ab inimicis Philisteis in amatæ gremio sopitus, comprehenditur, & catenis ferreis alligatur. Quis post homines natos fuit unquam, qui pietate & religione Dauidem regem superaret? quem unum ipse Deus immortalis fassus est, in omnibus rebus sibi planè satisfecisse: tamen hic insano amore Bersabeæ captus, 2. Sam. 11. non tantum adulterium cum ea commisit: sed etiam viro eius cædem crudeliter machinatus est. Age vero, quis de summa Salomonis sapientia non audiuit? ut nihil penitus esset in rerum natura, nihil in diuinis mysterijs, quod ille vir ignoraret: qui tamen quantopere sit immutatus ab amore, à vobis in Sacris Literis legi, quam à me commemorari malo. Quid ergo? dicet aliquis! Hæcine tu probas? aut

Hb 5 hoc

hoc modo laudes Amoris celebras? Ego verò tandem  
abest, vt probem, vt etiam maximè demandans  
censem. Sed hæc ideo commemoror: primùm ut  
tam nostrum ostendam, non sine ratione suum Amo-  
ris finxisse, non nihil Amori concessisse: deinde vi-  
am, quād difficile sit, nisi quis diligentissime cauet, in  
Amoris illecebras non incurtere, à quo tot ac tales  
deuincti fuerint. Verūm ea paratissima atque exqui-  
tissima ratio fugiendi Amoris huius est, vt cum diu ad-

Tuscul. 4.  
pag. 225. b.

more (quod ait Cicero) tanquam clavum clavo truda-  
mus, & Venereum Amorem Musarum amore prop-  
lamus. Solae enim Musæ vincula & laqueos Amoris  
non exhorrescant: quod elegantissimo quodam Ep-

Epigram. grammate Graco satis indicatur: in quo Poëta fugi,  
Grec. lib. 1. Musis Venerem fuisse minitatam, nisi N. mensu-

colerent, se in illas Cupidinem filium suum armati-  
ram: Musas autem respondisse: Posse eam Martini agas  
illas intentare: se verò prorsus ab Amoris iacula tutas

Platonis tri esse. Carmen autem illud quidam Musicus Poëta qui-  
buit Diog. dam Platonis esse volunt: quod in hunc modum con-  
Laet. scriptum est:

Vide Nat.

A Kύπερις Μέσαγοι Κοράσια, τὰν Αρρόδιτα

Comitis

Τιμᾶτ', ἡ τὸν Ερον ὕμιν ἐφοπλίζουσα.

Mythol.

X' αἱ Μοῖσαὶ ποτὶ Κύπεριν Αρεὶ τὰς φυλατῆρας

Li. 7. c. 15. et

Ημῶν δὲ οὐ πέταλοι τύρη τὸ παρδερίου.

Luciani Di

Quæ quamuis eavenustate reddi Latinè vix possunt,  
alogū Vene

ris & Cupi

dinis, inci.

Ti dñs wile

Θερως,

qua Græcè scripta sunt: ea tamen nos olim sic in Latinum  
sermonem conuerterimus:

Alma Venus Musis: Venerem obsernate puella,

Aut in vos stringet spicula noster Amor.

ORATIO XXIII. 491

At Veneri Musæ: Verba ista procacia Marti.

In nos nil iuris iste Puellus habet.

Habemus igitur paratum Antidotum, quo flagitiosi Amoris tela vitare facile possumus: Si nos virgineus Musarum Chorus in clientelam suam admiserit.



DE MUSICA.

ORATIO XXIII.

CVM aliquandiu mecum ipse tacitus animo volvemus, Auditores, quoniam apud vos, in hoc huius anni Professionis nostræ principio, dicendi genere potissimum ut erer, quod & animos vestros exhilarare, & ad bonarum artium studia vehementius incitare posset: suauissimis ac dulcissimis Q. Horati Flacci cantibus, quos interpretari vobis hoc anno decreuimus, tandem admonitus, de cœlesti illa, ac verè diuinâ scientia, quam Græco nomine Musicam vocamus, cuius magna quadam atque ampla pars est Poëtica facultas, verba facere, atque eiusdem laudes, vires, commoda, qua penè sunt innumerabilia, quoad per me fieri poterit, explicare constitui. Neque enim ex tot, tamq[ue] varijs ac multiplicibus artibus, quæ vel ab hominibus excogitata, vel Dei beneficio sunt nobis traditæ, illa tam humanitatis est propria: nec

qua